



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Iudicare idem esse, quod gubernare, & iudices fuisse gubernatores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

CAPVT III.

Idem esse, iudicare, quod gubernare. Et quàm incomprehensibilia sint iudicia consiliaq; Dei Mundum gubernantis?

I.



Iudicium etiam, pro gubernatione accipitur, quia præcipua actio gubernantis, est, *iudicare*. Ipsam gubernationem Mundi *Iudicium* quoddam esse, luculentè docent sacri codices, in quibus ipsis, haud rarò idem est, *iudicare*, quod *gubernare*. Hoc sensu Othoniel filius

- Iudic. 3. 10.* Cenez, frater Caleb minor dicitur, *Israël iudicauisse*; itémque *Debora prophetis uxor Lapidoth*, que *iudicabat populum in illo tempore*: nec non & *Phua*, qui *iudicauit Israëlem viginti & tribus annis*. Rursumque *Iudicauit Iephte Galaadites Israëlem sex annis: & mortuus est, ac sepultus in ciuitate sua Galaad*. Post hunc *iudicauit Israëlem Absan de Bethlehem, &c.* Cui successit *Ahialon Zabulonites*; & *iudicauit Israëlem decem annis*. Ac vniuersim *Iudices* idem erant, quod *Duces*, quorù itidem officium erat *iudicare*, sicut *Iudicum* antea *regnare*. Quid est enim *regnare*? nisi, pòstquam in animo iudicatum est, quid bonum malumue, aut Reip. aut nobis, aut subditis, id ipsum verbis statuere, & ius dicere, ac iustitiam, cum summa autoritate potestatéque, exercere, atque ita bona & bonos, à malis, secernere? *2. Reg. 15. 2.* Hinc & *Abfalom*, cum *regnare* vellet, cæpit in portis *iudicare*. Præcipuus enim actus regnantis, est actus iudicantis.

II.

Quare etiam rectissimè regimen Dei, *Iudicium Dei* potest appellari; neque enim regeret Mundum, nisi iudicaret, quid proficit Mundo, aut nisi inter homines discerneret: & decerneret. Quod *Sarai*, *Gen. 16. 5.* petens ad *Abraham*, dixit: *Iudicet Dominus inter me & te*, non vtique iudicio illo, quod *Abrahæ* demum à morte, aut extremo illo Mundi die erat subeundum; sed iudicio, quo vtitur in hominibus gubernandis. Vocatur autem *Iudicium*, cum sit regimen sanè prudentissimum & iustissimum, tametsi sæpe æquitas, aut ratio illius ab hominibus ignoretur. Eapropter *Hugo* in *Psal. 103.* inter varias *Abyssis* acceptationes, ait: *Abyssum* trallatio sensu etiam significare, *Sacrarum Scripturarum diuinorumq; Iudiciorum profunditatem*; & regius *Psaltes* ait: *Iudicia tua abyssus multa*. Sicut enim

Psal. 35.

enim